30

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iovis, IX. Februarii,

M. PETRO YON, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Lactentium Variolis Venæ ſectio?

MEDICVS ægrorum ſalutiſconſultus Naturam ſequitur ducem ἀπαιδεύτως τὰ δέοντα ποιοῦσαν, quemadmodum verò φύσις bonis ægri rebus ſæpenumero largam & liberalem ſanguinis profuſionem è naribus molitur in febre ardentiſſima, καταμηνίων eruptionem ſi quando ſanguis vomitu reiicitur, in partu κάθαρσιν lochiorum beneficam, in melancholicis ſalutarem fœdi humoris ἔκκρισιν: per hæmorrhoïdum ſentinam: Sic φύσεως ὑπηρέτης in plevritide acerrima πρὸς τὴν κληΐδα ex ægro latere κατ' ἴξιν venam pertundi iubet, è qua longè minor ſanguinis copia quàm cæterorum humorum fluit. Ita flagrantem cavſum primo quoque tempore vel ad lipothymiam detractus ſanguis mirificè reſtinguit: neque vllam religionem iniicere debet ἀσφυξία Febrium putridarum genus omne etiam ante frigidæ potum vel vſum attenuantium venâ ſectâ commodè profligatur. Ex vſu etiam eſſe poteſt Phlebotomia in febribus Intermittentibus, & inſigni humorum cruditate. At procul arcenda, atque exterminanda Hæmophobi Eraſiſtrati χρονίων ἀσιτοτέρου crudelis inedia, ad mortalium carnificinam miſerè excogitata.

PRINCEPS mittendi ſanguinis ἔνδειξις morbi magnitudo eſt, cui ſi vires addere lubet, non repugno: morbus magnus ſive ille acutus, ſive diuturnus eſt; ſive iam adeſt, ſive proximè impendet, non geminum præſidium, ſed vnam poſtulat Venæ ſectionem, quam parvus, & cruenta Plevritis velut infenſam planè reſpuunt. Si floret vitalis Facultatis robur, ſanguinem affatim tutò mittes: ſi animalis, & naturalis conſenſio accedat, largiore

manu exhauriendus. Habenda etiam atque etiam ætatis ratio, etenim ἀκμαζόντων ἡλικίῃ adoleſcentiâ & crudâ ſenectute circũſcripta, tertius ſancitur Hippocrati mittendi ſanguinis ſcopus: tenellæ θηλαζόντων ætati in ſummo valetudinis diſcrimine tantillum ſanguinis detrahere ne capitale facinus exiſtimes. Non eſt prętereà contemnenda circumfuſi aëris temperatio, quam ad ſecundas, vel primas indicationes tibi referre per me licet. Plethoricam verò ſyndromen, ſanguinis, & cæterorum humorum dominatum, ceu inanes, neque germanas & legitimas mittendi indicationes valere iubemus.

VARIOLÆ & Morbilli in acutorum album adſcribendi, (Hippocrati, & ſuperioris ęvi Medicis probè cogniti) cum acerbiſſimo dolore & pruritu in manibus, pedibus, facię, præputio efflorefcunt, quibus maculas invrunt διαπυρητικούς, ſanguine effervefcente, & ad cutis ambitum criticè curſum inflectente. Variolarum papulas ardentes, oculis maximè peſtiferas, ob ſanguinis dominatum ſynochus comitatur; Morbillis propter vim bilis acerrimam Febris ardentiſſima coniungi ſolet. Has morborum labes non invehunt impuri ſanguinis menſtrui reliquiæ, non quodlibet aëris inquinamentum; non humoris excrementitii colluvies, non putreſcentis alimenti fœditas, ſed tetra quædam ſeminis impuritas, cum qua ſi conſpiret calida & humida τῆ περιέχοντος κατάστασις, verna atque autumnalis tempeſtas morborum omnium fœcunda procreatrix, coloſtrati lactis vſus, vel multo ſero perfuſi lactentes Variolis inquinat, conſpurcatque.

VARIOLAS adventantes Medicus prævidere non facilè poteſt, harum quippe nulla ſunt Pathognomonica σημεῖα: eſt præterea fallax & lubrica maximè tota ſignorum ratio. Arabes mirè ſe torquent in explanandis Variolarum ſpeciebus, nova etiam cudunt, illiſque affingunt nominum portenta quæ literatę aures aſpernantur. Nefariè in hominum genus graſſatur iſta calamitas, quemlibet ſexum crudeliter invadit, mares tamen potiùs quàm feminas, & ſanguinis communione devinctos quàm cæteros atrociùs affligit. Si Exanthemata nigro, viridi, aut purpureo colore ſuffuſa ſint, mortem certò denuntiant, ſed quæ album colorem præ ſe ferunt, nón minùs ſæpenumero funeſta. Si flagrantibus toto corpore variolis vrina ſanguinis aſperſa guttis, aut liuida profunditur, alvuſque ducitur διαχωρήμασιν ἰώδεσι πλύμασι σαρκῶν ſimillimis, actum eſt de ægri capite, & ſalute. An ſemper prænuntia mortis diarrhœa? quæcunque ad ſalutem videntur apparere ſigna vanâ ſpe Medicum lactant, ſi vtrumque, vel altervtrum parentum afflaverit peſtiferum luis venereæ contagium.

INCENDIO viſcerum defervefcente, ſi morbus non ſit ἄρτιος κεκινημένος, ſi infantulus cum alimento in gratiam redit, pappare minutum poteſt, nec iratus mammæ lallare recuſat, & illi, & nutrici impingendum eſt aliquid dulciculæ potionis, blanda quippe ſunt exhibenda pharmaca (morbo ineunte perniciosa) quæ molliſſimè aluum ſubducant, leniant, demulceantque dolorum morſus, ſudores promoueant ex Medici voto, materiæ morbificæ

reliquias funditus exturbent : immane quantum nocet venenatus narcoticorum vsus! puellus interdictâ pulticulâ solo se oblectet reficiatque nutricis lacte medicato : clysteris nutritij iniectio mirificam vim habet. Sanguinis missio inter Variolarum præsidia principem locum tenet, sed quæ malùm, stuporis & inscitiæ plena opinio vulgi animos peruasit piaculum esse infantulos venæ sectione cruciare! à qua longè dissidet optimus quisque medendi artifex, is vnam phlebotomiam in ore habet, qua febri, & bili excandescenti frenos inijciat, calorem natiuum gravissimè iactatum atque oppressum in integrum restituat, & lactentes citra virium iacturam ἀξιόλογον, citra vllam corporis offensionem ab imminenti peste & pernicie vindicet.

Ergo lactentium Variolis Venæ sectio.

Proponebat Lutetiæ PETRVS RICHER, Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Thevart. *M. Guillelmus Dupré.* *M. Carolus le Clerc.*
M. Vrbanus Bodineau M. R. *M. Philbertus Morisset.* *M. Ioannes Bourgeois.*
M. Antonius Suart. *M. Iacobus Cornuti.* *M. Mauricius de Monstrœil.*

PARISIIS,

Prostant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum, in Platea Malbertina, ad insigne D. Stephani.

M. DC. XLVII.